

cupiditate prædæ, sine imperio, sine signis, ad agrestium tecta diripienda discurrunt. Hos rapinæ intentos, nec aliud minus quam hostium adventum expectantes, trecenti barbarorum equites a fronte a tergo a lateribus coorti, subito clamore invadunt, injectoque simul pavore, circumventum militem, neque ferrum neque fugam satis expedientem, trucidant. Barbadius mula sedens, dum forte ea parte adequitaret, qua omnis vis hostium incubuerat, in arctissimum locum compulsus, & ad terram arbuſtorum densitate dejectus, a multitudine equitum obtritus expiravit: ejus corpus postea paludamento & annulo agnitum, in Patrensem arcem sublatum, alta turri hostes palo affixere. Ad mille ex tanto numero evaserunt. Ragius in hostium potestatem redactus, vivens palo & ipse est affixus. Nec Capellius ad eam cladem omnino animum remisit, ratus id suorum temeritate potius quam hostium virtute accidisse. Octavo itaque post die lectissimos quosque cum reliquo copiarum, quod ex recenti pugna supererat, ad urbem oppugnandam sub signis mittit. Vincimanica Siculus, classis magister, quem *Armiratum* vulgo appellant, cum Dominico Nigro & aliis viris fortibus, qui signifero assistebant, ante oppidum publica signa statuerunt. Nec hostes pugnam detrectarunt, sed oppido ferociter egressi, impigre prælium inivere: quatuor circiter horas atrociter est pugnatum, demum, fortuna neutro inclinante, Venetus ut hostem loco summovertet, sexaginta qui ex Ragiano equitatu supererant, per clivum, qui a latere erat, in hostem ex transverso mittere instituit. Sed illi nondum in summum evaserant, quum barbarus & ipse ad hoc ipsum missus, in summo clivo apparuit, quo conspecto, extemplo Ragiani equites in fugam versi, in confertum auxilium insularum agmen, qui pone sequebantur, consternatos immittunt equos: continuo strages ingens equorum hominumque edita est. Adest interim barbarus, cuneosque per se turbatos ferro proſternit, stratosque calcat, ac solo affligit: fuissetque, re jam semel inclinata, clades priore illa longe atrocior accepta, nisi pulvis in atræ nubis speciem